TRACTATIO JURIDICA DE JURE ASSECURATIONUM, QUAM CONSENSU MAGNIFICI AC...

Michael Friedrich Lederer, Albert Friedrich : von Syborg, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

792.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO GVILIELMO

Marchioni Brãdenburgenſi, S. R. I. Archi-Camerario & Electori, ſupremo Boruſſiæ Domino, Magdeburgi, Juliaci, Cliviæ, Montium, Stetini, Pommeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum, & in Sileſiâ Croſnæ, Carnoviæq; Duci, Burggravio Norimbergenſi, Principi Halberſtadenſi, Mindenſi ac Cominenſi, Comiti Marchæ & Ravensbergæ, Domino in Ravenſtein Lauenburg, Bütau &c. Domino meo Clementiſſimo

Salutem ac Felicitatem.

SERENISSIME AC POTENTISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.

NOn inter poſtremas *Patriæ* civium officii partes, qvi Majeſtatem TUAM humillimâ veneratione proſeqvi amant, numerari debet devotiſſima ſubjectiſſimi Clientis pietas. Univerſo enim terrarum Orbi jamdudum conſtat, qvanta ſis, PATER PATRIÆ *Incomparabilis*, in ſubditos TUOS Clementia: qva fretus ad *Celsissimam* TUAM SERENITATEM ſubjectisſimè accedere non dubitavi. Qvemadmodum verò apud Perſas mos qvondam obtinuit, ut nunqvam ſine munere Reges ſuos adorarint: ſic meum fore exiſtimavi publicum

blicum aliqvod TIBI, INCLYTE HEROS, humillimæ meæ ſubjectionis decernere monimentum. Cùm eqvidem hoc ipſum non tanti ponderis ſit, ut *Laudatiſſimi* PRINCIPIS perſonâ dignum habeatur; devotiſſimum tamen offerentis affectum non improbandum confido. Nec enim ſumma tantùm montium cacumina Sol, ſed valles etiam, colluſtrat. *Sereniſſima* itaqve TUA *Fronte* Juridicas has meas primitias clementiſſimè ut digneris humillimè contẽdo. Tuo enim *Auguſtiſſimo* NOMINI omnia me mea ſtudia debere ultrò fateor; nec facilè permittam, ut vel promptiſſimo cuiqvam in poſterum cedam. DEUM miſericordiſſimum veneror, ut TIBI AUGUSTE HEROS, *Sereniſſimæqve Domui* BRANDENBURGICÆ majora indies ad-

at omnigenæ proſperitatis incrementa. Vivant PRINCIPES *Juventutis*, *Spes Patriæ!* Vivant diutiſſimè! vivant feliciſſimè! qvod precatur.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ

Wittenbergæ Kal. Decembr. Anno cIↃ IↃ c LXVII.

humillimus & ſubjectiſſimus Cliens

Albertus Fridericus à Syborg Magdeburgenſis.

In Nomine Domini Nostri Jeſu Christi ad omnia conſilia omnesq́, actus ſemper progredimur. l. 1. pr. C. de Off. Præf. Præt. Africa.

MErcaturam olim plerarumqve Rerumpp. auctoritate non minus, ac communi ferè Philoſophorum conſenſu, ſordido abjectoqve vitæ generi annumeratam fuiſſe, non eſt, qvod dubitetur. Plato, enim Philoſophorum ſapientiſſimus judicatus, hanc ipſam ex illarum, qvibus Remp. inſtruxit ſuam, artium numero exterminaſſe fertur; cui calculum ſuum adjicit Dion. Halicarnaſſeus, (*lib. 2.*) qvi mercatoribus ne locum qvidem inter cives Romanos relinqvere voluit. Nec benignius in eos Tullius ſtatuere videtur, dū ſordidos eoſdem appellavit: qvin immò ICtus Martianus ſervis illos accenſet. *l. 65. ff. de Legat. 3.* Ex qvo factum, ut Nobiles negotiari prohibiti ſint, *l. 3. C. de Commerc. & merc.* propterea, qvod inter ſordidos & abjectos qvæſtus Mercatura reponeretur. *l. 7. C. de inceſt. Nupt.* Qvanqvam verò hoc ipſum ſubſeqventibus temporibus aliis etiam Provinciis ac Regnis obſervatum legatur; illud tamen non de propriè ac verè ſic dictis Mercatoribus, ſed de minorum gentium propolis obtinet: neqve id injuria; hi enim cùm omnia compendii minus honeſti faciendi ergò faciant,

ac turpe lucrum actionum ſuarum finem ponant, ſordidorum crimine notati ſunt. Non eqvidem hîc ſedet mercaturæ cauſſam agere, ſed illud in proclivi eſſe credo, nullam adeò, qvæ omnibus omninò commerciis carere poſſit, exiſtere Rempublicam. Fieri enim non facile poteſt, ut unaqvæq; Regio iis omnibus, qvæ tùm ad uſum, tùm ad voluptatem faciunt, abundet. Scitè huc referri videtur illud Maronis:

——— ——— Non omnis fert omnia tellus:

1. Georg. v. 54. & alibi;

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ;
Arborei fœtus alibi, atq; injuſſa vireſcunt
Gramina, nonnè vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?

Inter Mercaturæ autem genera, qvæ Philoſophus *1. Pol. 7.* tria conſtituit, primas tenere viſa eſt ipſa *Naucleria*, fructuoſiſſima qvidem illa, ſed multò omnium ob ſexcenta in mari pericula intutiſſima. Licet hæc qvidem non prorſus avertantur, minui tamen vel ab uno vel à paucis in plures dividi qveunt: qvem in finem ſocietates illæ Nauticæ in præcipuis Regnis ac Rebuſpp. laudabiliter inſtitutæ non tantùm, ſed & ſingulorum utilitatibus aliis modis qvàm optimè eſt proviſum. Aliis igitur recenſendis ut hîc loci ſuperſedeam, contractus ille, qvem *ASSECURATIONEM* vulgò nuncupant, non imum ſed primum ferè meretur locum. Hujus verò tractationem eamqve pleniorem ſuſcepturus ſupremum invoco Numen, ut laboribus ex alto benedicat!

§. 2. Etſi mihi rem fore arduam magniqve laboris non dubitarem, qvùm tamen materia iſthæc inter paucas utilis ac neceſſaria, qvia in civitatibus, in qvibus mercatura floreſcit, & præcipuè in maritimis hoc *Aſſecurationis*

nis

nis commercium valdè eſt uſitatum, qvando ſcilicet Mercatores ita audeant merces ſuas ex uno loco in alium majori cum ſecuritate tranſportare, adeoqve & in Germania maritimis non minus ac aliis locis *Aſſecurationes* in viridi ſunt obſervantiâ. Servo autem hunc ordinem, ut poſt contractus Etymologiam ac definitionem ad diviſionem illius, & mox de juſtititia ejuſdem pauca præfatus ad actionem exinde deſcendentem progrediar. Cùm verò variæ ſint Aſſecurationum ſpecies, ut infra dicam, hic tamen præcipuè de ea, qvæ circa merces mari trajiciendas occupatur, agere animus eſt.

§. 3. Etymologiam itaque *Aſſecurationis* ſi ſpectem, dicitur ea ab *aſſecurando*, & hoc ab *ad* & *ſecurus* eſt, notatque propriè qvemlibet actum, qvo alienarum rerum ſeu mari ſeu terrâ exportandarum periculum certô pretiô conſtituitur, german: Eine verſicherung / & *Aſſecurator*, qvi alium qvacunq; ratione ſecurum facit. Qvāqvam vix eſt, ut *Aſſecurationis* & *Aſſecuratoris* vocabula apud qvenqvā purioris ſermonis Autorē reperiantur: ſufficit tamen, eam Juris Commentatoribus, teſte Dominico Soto, *de J. & J. lib. 6. qv. 7. art. un.* receptam eſſe. Vid. Joh. Marqvardus *de Jure Mercat. & Commerc. lib. 2. c. 13. n. 5.* Intereà non nego, præſens negotium alio & fortè non incongruô titulô inſigniri poſſe, juxta Beneven. Stracham *Tr. de Aſſecurat. Introduct. n. 8.*

§. 4. Definitionem verbalem excipit definitio realis, qvam diverſi mode ICti tradunt. Sic dicitur eſſe contractus, qvo præmium datur, ut qvis ſuſcipiat periculum mercium aliò tranſvehendarum. Struvius *Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 25. ad tit. de P. V. §. 46.* vel etiā conventio avertēdi periculi, ſeu qva qvis præmio ſibi dato ſuſcipit periculū rerum aliò tranſvehendarum. Hahnius *Obſ. ad Weſemb. tit. de P. V. n. 4. p. 682.* Mihi impræſentiarū ita definire pla-

 cet;

cet: *qvòd ſit contractus innominatus, qvo rerum qvarundam periculum pro pretio, aut alio qvocunq; intereſſe ſuſcipitur.*

§. 5. De *Genere* hujus definitionis variè apud ICtos controvertitur, ideòque, ut eò melius meam ſtabiliam ſententiam, primò remotivè, paullò poſt poſitivè probabo illud. Sic (1) non eſt *Emptio venditio*, qvaſi emat Dominus mercium præmio ſeu pretiò certò periculum incertum, qvod alter vendit, qvemadmodum venditur jactus retis, ſeu jus ad aves & piſces, qvi retis jactu capi poſſunt, *l. 12. ff. de act. emti*, & qvaſi aleæ ſeu ſpei emptio dicitur à ICtò Pomponiò in *l. 8. §. 1. ff. de contrah. empt.* qvo etiam refertur onus ſolvendi rem, ſi pereat, juxta *l. 5. ff. de naut. fœn.* Hæc enim omnia affinitatem qvidem inter emtionem & Aſſecurationem intercedentem evincunt, utriuſque autem naturam eandem in omnibus eſſe, ex dictis nondum probari poterit. Prædictus enim contractus emptionis & venditionis nomen ſpeciale ac diſcretivum ob formam ſuam ſingularem jure gentium accepit, & ſolò conſenſu in pretium ac mercem certam directò efficacem propriâ ſuâ vi producit obligationem. Hæc autem Aſſecurationi noſtræ applicaturus illicò deprehendet, illud nomen æqvivocum & confuſum inſtar permutationis eſſe, nec ſolò conſenſu, ſed actuali demùm, vel præmii, ſuſcipiẽdi periculi cauſſa, datione, vel vice verſâ, ut præmium detur, periculi ſuſceptione perfici, & tandem non propriâ conventionis virtute, ſed ob cauſſæ, id eſt vel dationis vel facti, ut dictum, interventum actionem producere.

§. 6. Ex iiſdem rationibus nec (2) *locationis & conductionis* claſſi aſſignari poterit aſſecuratio, ac ſi aſſecurans locet operam ſuam in rebus ſuò periculò transvehen-

dis

dis conſiſtentem ,' & conducat ſecuram rerum tranſvectionem, & Aſſecuratus viciſſim locet hanc, & conducat illam. Ex eo inſignem utriusqve ſimilitudinem & cognationem elucere facilè concedo, maximè, qvia contractus innominatus do ut facias, vel facio ut des, qvorum naturam participat noſtra Aſſecuratio, ex locatione & conductione explicari ſoleat, animadvertente Dn. Hahnio *ad Weſemb. de P. V. n. 4. & 5.* Nativa tamen & intrinſeca utriusq; natura exindè non ſtatim confundenda. Inter cætera intentionem contrahentium inſpecturus, eam tàm in emptione qvàm locatione diverſam longè à celebrantibus Aſſecurationem eſſe, ingenuè fatebitur: In priori intenditur dominii, in poſteriori uſus rei pro certâ mercede translatio; neutra in Aſſecuratione obtinet, ſed Aſſecuratus id intendit, ut res ipſius ad locum deſtinatum indemnes transferantur, periculô in ipſum Aſſecurantem devolutô, & aſſecurans vice versâ, ut præmium accipiat pro periculo ſuſcepto. Fruſtrà autem ad confirmandam ſententiam adducunt *l. 31. ff. locat. conduct.* qvicunque per locationem deſcribere ſatagunt Aſſecurationem, cùm ille textus de diverſo planè conceptus caſu egregiè explicato à Jacobo Cujacio *Obſervation. Lib. 7. c. 39.* & Hermann. Vultejo *Comment. ad Inſtituta pr. de Locat. conduct. n. 15. & ſeqq.*

§. 7. Multò minus (3) *per ſtipulationem aut ſponſionem* Aſſecuratio deſcribenda: non per ſtipulationem, qvia hic contractus per ſe ſubſiſtit, & ad confirmandas potiſſimum obligationes inventus peculiari verborum ſolemnitate, qvæ in noſtra Aſſecuratione de forma non reqviritur, perficitur. Magnif. Dn. Struvius *Syntagm. Jur. civil. Exerc. 47. §. 5.* Dn. Hahnius *ad Weſenbec. de V. O. n. 1.* Nec id tamen diffiteor, robur accipere & eo magis fir-

mari Aſſecurationem ſtipulatione inſuper accedente, qvæ ſi contractibus, maximè innominatis, adjiciatur, id ſingulariter operatur, ut pœnitere amplius non liceat. *l. 5. C. de permutat.* Dn. Hahnius *d. l.* Cum ſponſionis deinceps actu majorem videtur convenientiam habere, qvod etiam ſpondentes in ea periculo ſe exponant: per illam tamen Aſſecuratio non protinus deſcribenda, præcipuè, qvod ſponſio ſupponat contentionem de veritate aut eventu alicujus rei, qvam contendentes ita terminare maluerunt, ut victus victori certum qvid ſolvat: Aſſecuratio autem ſupponat amicabilem conventionem qva Aſſecurans intendit præmium, & Aſſecuratus periculi evitationem ſecuramq; mercium tranſvectionem.

§. 8. Tandem (4) *Fidejuſſioni* qvàm proximè Aſſecurationem accedere tradit Anton. Hering *de Fidejuſſor. c. 8. n. 152.* qvòd periculum ſuſcipiens qvaſi fidem ſuam interponat, de re illibata transferenda, & ſi damnum fortè acceſſerit, pretio iſtius reſtituendo; ſed verò itidem errat, qviſqvis propter illam affinitatem Aſſecurationem per Fidejusſionem deſcribere velit. Fidejusſio enim, ceu acceſſorius contractus, principalem præſupponit obligationem, qva deficiente nec illi locus eſſe poterit; Aſſecuratio autem eſt conventio per ſe ſubſiſtens, nec alterius contractus indigens robore.

§. 9. Utut igitur Aſſecuratio cum prædictis contractibus nominatis actibuſqve, maximè autem cum emptione & venditione, ſecundum cujus regulas illam judicandam eſſe ſentiunt Benev. Stracha *de Aſſecur. in Introd. n. 47.* & Petrus Santerna *de Aſſecur. part. 1. n. 7.* adeò conveniat, ut Dd. in eâ deſcribenda nondum convenerint. Omnes tamen illos Generis vicem in definitione Aſſecurationis ſuſtinere non poſſe ſeriò affirmo. Alia itaqve nego-

negotia, qvæ in ſpecificum nondum tranſivère nomen, cauſam tamen ſ. συνάλλαγμα, *juxta l. 7. §. 1. & 2. ff. de pactis*, cujus vigore demum obligationem producunt efficacem, continent, ad partes vocanda. Qvotqvot enim contractus, qvalem Aſſecurationem etiam eſſe nemo facilè ambiget, peculiarem & ſingularem ſeu à jure Gentium ſeu civili formam non acceperunt, ſed in communi conventionis nomine ſtant, illos non nominatis, ſed innominatis accenſendos eſſe apud Ddres hactenus in confeſſo fuit. Hac tamen Aſſecurationi accommodaturum ſtatim offendet Aſſecurationis vox, qvæ ipſa illuſtris ſatis & famoſa.

§. 10. Verùm non adeò reſpiciendum ad nomen, ceu rem extrinſecam planè & accidentalem, cùm aliàs etiam permutatio (addo & Hypothecam & donationem) & alii iſtiusmodi actus non ſine abſurditate contractuum nominatorum claſſi eſſent inſerendi, prout eruditè animadvertit Hugo Grotius, *de jure B. & P. lib. 2. c. 12. n. 3.* ſed ad vim & efficaciam à Gentibus vel Romanis ſpecialiter tributam. Cùm itaqve ea de Aſſecuratione in nudis dandi & faciendi terminis ſubſiſtente non facilè qvis dixerit, ideò ob civile, qvod continet, negotium, illam contractui innominato, & qvidem do ut facias, vel facio ut des, aſſignare ſatius puto. Qvod ſi enim Aſſecuratio à præmii datione initium ſumpſerit, pertinebit ad articulum do ut facias, ſin verò ab ipſius periculi ſuſceptione, ad facio ut des, qvod juxta principia actionum humanarum intentio contrahentium præcipuè, & qvis alterum ſibi obligando cauſſam huic negotio & initium dederit ſit inſpiciendum. *Magnificus atq; Nobiliſſ. DN. ZIEGLERUS, Patronus atq; Præceptor meus plurimum obſervandus Animadverſ. ad Grotium de Jure B. & P. lib. 2. c. 12. §. 3. in verbis: Ad tria qvæ diximus. &c.*

809.

§. 11. Altera definitionis pars *in differentia ſpecifica* conſiſtens deſumpta eſt partim *á cauſſa material*, partim à *cauſſa formali*. *Cauſſam materialem* conſtituunt *merces*, qvarum præſentia hic adeò neceſſaria, ut, ſi earum nullæ in curru vel navi reperiantur, totus contractus annihiletur & corruat, non ſecus ac rei non exiſtentis nulla eſt emptio, nec ſtipulatio. *l. 8. ff. de contrah. Empt. l. 69. ff. de V. O.* Petrus Santerna *de Aſſecur. part. 3. n. 14.* Joh. Marqvardus *de jure Mercat. lib. 2. c. 13. n. 23.* Qvòd ſi tamen Aſſecurandus per mendacium dixerit, eſſe in curru vel navi merces, cùm tamen reverà nullæ adfuerint, nihilominus Aſſecurator in odium Aſſecurandi, ceu falſa aſſerentis, id, qvod periculi ſuſcipiendi cauſſa promiſſum ac nondum ſolutum, petere & acceptū retinere non prohibetur: ſibi enim imputet Aſſecuratus, qvòd contra Bæ. F. regulas mentiendo Aſſecurantem defraudare, & inſtar furis clandeſtini alienis pecuniis inſidiari non erubuerit. Joh. Marqvard *d. l. n. 30. & 31.*

§. 12. Cœterum plura circa objectum hujus contractus occurrunt notanda: (1) *qvidditas mercium*. Licet igitur merx inſtrictiori conceptu partem integrantem emptionis venditionis conſtituat, hîc tamen eâ voce laxius utimur, & ſecuti Ulpianum *in l. 1. §. 1. ff. de Tribut. act.* & *l. 1. §. 1. ff. Naut. Caup. ſtabul.* illius appellatione omnes res, qvæ negotiationi aptæ natæ, & periculo atque interitui exponi poſſunt, comprehendimus. Sigiſm. Scaccia *de Commerc. & Camb. §. 1. qv. 1. n. 133.* Nec excluſam volumus pecuniam in ſacculis inter merces aliàs repoſitam, eô non attentô, qvòd fortè aſſecuratus eam numero mercium ſuarum non aſſignaverit; cùm mercis nomine omnes res mobiles comprehendantur, *l. 66. ff. de V. S*, niſi fortè uſus loqvendi aliam ſvadeat interpretationem, aut ex conven-

tione

tione diverſum elici poſſit. Johann. Marqvardus *d. l. n. 19.*

§. 13. (2) *Mercium qvantitas*: determinandæ qvippè ex numerô, menſurâ aut pondere, & qvidem, ut mercator eò magis & ſecuriùs ſibi proſpiciat, ipſi eo allaborandum, ut prædicta determinatio coram Notario & teſtibus expediatur. Ideò non plurium, qvàm revera in curru vel navi reperiuntur, mentio aut fictio facienda: qvòd aliàs Aſſecurantem defraudare intendat, & lites circa mercium reſtitutionem excitari, efficiat, dubio deinceps litis eventui ultrò ſe exponens. Ex qvibus ſponte fluit, Aſſecuratorem non teneri ultra pretium mercium reverà in navi contentarum, qvoties illæ caſu fortuitô perierint. Fingamus e. g. Mercatorem Hamburgenſem mandaſſe ſuo Factori in India, ut navi ſibi tranſmittat merces, qvæ Hamburgi forte 10000 Joachimicos ſunt valituræ. Fretus itaq; dictus mercator fiduciâ, merces propediem adventuras eſſe, aſſecurationem init cum extraneo qvodam mercatore, numerando illi pro præmio periculi ſuſcipiendi 200. Thaleros: deinceps autem accidit, navem tot mercibus ſaltem onuſtam advenire, qvot Hamburgi duorum tantum millium thalerorum pretium non excedunt. Eô certê caſu firmiter aſſerendum, mercatorem Aſſecuratum ad pretium pro Aſſecuratione usq; ad qvantitatem mercium impoſitarum tantùm teneri, & vice verſâ, ſi navis perierit, Aſſecuratorem, ultra 2000. Tahlr. qvanti valuerunt merces impoſitæ, Aſſecurato non obligari.

§. 14. Qvid autem ſi Aſſecuratus dixerit, ſe habere in navi merces 1000 aureos valentes, cùm tamen in rei veritate illæ ſaltem qvingentos valeant? Exſurgit hîc qvæſtio, an caſu periculi exiſtente Aſſecurator teneatur ad il-

los mille aureos ? Puto, verba hic, qvibus Aſſecuratio concepta, præprimis inſpicienda: aut itaqve Aſſecuratus dixit, ſi merces meæ peribunt; non factâ mentione valoris, dabis mihi ducentos; qvo caſu, nullus dubito, Aſſecuratorem in vim ſponſionis teneri ad mille aureos; aut verò facta eſt mentio æſtimationis mercium, & verba fortè ita concepta, ſi merces meæ, qvæ valent mille aureos, perierint, dabis mihi ducentos; & hoc caſu Aſſecurato, mercibus caſu fortuitò perditis, ducentos aureos petenti jure opponitur Exceptio doli mali, & ſi ultra dimidium læſus fuerit, reſcindi planè poterit Aſſecuratio.

§. 15. Inſpiciendum autem, in qvantitate Mercium determinanda, tempus Aſſecurationis, ut licet aliqvis mercium omnium periculum indeterminatè in ſe ſuſceperit, ad earum tamen jacturam, qvæ dicto tempore in navi non fuerunt, ipſe non tenebitur. Qvòd ſi enim mentem & intentionem Aſſecurantis inſpiciamus, illa certè nonniſi in merces tempore contractus præſentes, non autem futuras, directa erit; prouti etiam in materia legatorum ea tantum præſumuntur legata, qvæ actu adſunt, e. g. in horreo vel fundo, non autem qvæ in caſu legati ampliati deinceps congeſta fuerunt, *l. 32. §. 3. ff. de Legat. 2. l. 18. §. 12. de inſtrum. legat:*

§. 16. (3) *Mercium qvalitas:* Proſpiciendum eqvidem, nè alienæ pro ſuis, vel illicitæ & Aſſecurari prohibitæ pro licitis offerantur. Ut autem qvales illæ ſint, ſciamus, confugimus ad nominatos, qvibus aſſimilatur Aſſecuratio, contractus, ut qvæcunq. ferè res horum objectum conſtituunt, & in illa cæteris paribus cauſſæ materialis vicem ſuſtinere poſſint. Omnes itaq; res, de qvibus negotiatio ſeu terreſtris, ſ. maritima non interdicta, & qvæ interitui & periculo ſubjacere poſſunt, qvales e. g. eti-

am

am ſunt pecuniæ, margaritæ & naves cum mercibus vel ſeparatim vel conjunctim, Aſſecurationis Objectum conſtituunt; adeò, ut perſonæ qvoqve tranſitum per loca minus tuta, Turcarum fortè, latronum aut hoſtium aſſecurari poſſe tradat S. Scaccia *de Commerc.* §. *1. qv. 1. n. 133.* Neq; res communes hîc removemus, ut, licet aliqvis alteri ſecuritatem mercium ſuarum tantùm promiſerit, & compertum deinceps ſit, plerasqve earum non ad Aſſecuratum, ſed ejus ſocios pertinere, illam tamen Aſſecurationem pro parte etiam ſociorum valere concludit Petrus Santerna *d. Tr. part. 3. n. 58.* cui etiam ſubſcribit Marqvardus *d. l. n. 41. & ſeqq.* Eo ipſo enim, qvo Aſſecurator omnium mercium periculum in ſe ſuſcepit, & ſingularum qvoq;, qvarum Domini pro indiviſo ſunt ſocii, indemnitaten in ſe ſuſcepiſſe, eſt præſumendum. Illud autem qvàm maximè attendendum, ne per privatam conventionem publicum bonum detrimenti qvid patiatur: ſicut igitur arma, frumentum, ſal & aliæ ejuſmodi materiæ hoſtibus vendi prohibentur in *l. 2. C. qvæ res exportari l. 11. ff. de Publican. & vectigal.* ita non improbabiliter qvis inferet, eas nec aſſecurari poſſe, qvòd legi publicæ ejusq; rationi, ne hoſtes armis contra nos ipſos inſtruantur, aut famen ex diuturna obſidione vel itinere ſuboriri ſolitam ſedare posſint, per indirectum obviam eatur.

§. 17. Hactenus de *Cauſſa materiali*; nunc ad *formalem*, qvæ à parte Aſſecuratoris conſiſtit in periculi ſuſceptione, à parte aſſecurati verò in præmii præſtatione. Per *Periculum* hic non qvodvis, ſed qvod in itinere, in qvo Aſſecuratio facta, contingere poteſt, intelligimus. Priuſqvàm igitur caſus poſt factam vectionem actu ipſo acciderit, merces ſcil. realiter periiſſe, Aſſecurator ne qvicqvam Aſſecurato eſt obligatus. Ut enim aliàs conditio ſuſpen-

 dit

dit qvemvis actum, cui adjecta, donec illa fuerit impleta: ita nec ad valorem mercium, anteqvàm certò conſtiterit, an illæ ſalvæ ſint tranſvectæ, nec ne, præſtandum Aſſecurator adſtringi poteſt. Multò minus ipſi obeſſe aut imputari poterit impedimentū, aut damnum ante tranſvectionem ſeu ab Aſſecurato ſeu Domino mercium ſ. ab alio, Principe fortasſis (cujus factum inter caſus fortuitos numeratur *in l. 11. ff. de Evict. ion:*) publicis neceſſitatibus navim vel currum accommodante; vel in ipſo etiam itinere hunc vel illam injuſtè detinente, ſive tandem caſu fortuito, navi fortè combuſta, cauſſatum; adeò, ut pretium periculi nec peti hoc caſu ab aſſecurato, ſed & ſolutum ab Aſſecurante condici poſſit, *arg. l. 3. ff. de act. vel hered. vendit.* Vid. Johann. Marqvardus *de Jure Mercatorum lib. 2. c. 13. n. 34. & ſeqq.*

§. 18. Verſa vice ſi Aſſecurator qvocunq; modo in culpa vel impedimento fuerit, qvo minus merces debito tempore transvectæ fuerint, & illæ eapropter damnum perpeſſæ ſunt, ipſe ab Aſſecurato præmium promiſſum exigere non poterit, non ſecus ac ſi merces planè perierint, qvod culpæ Aſſecuratoris hìc eadem vis, qvæ caſui fortuito ſit attribuenda, qvippe damnum ſentire non videtur, qvì culpa ſua illud ſentit. *l. 203. ff. de R. J.*

§. 19. De cætero, cùm & in hoc negotio conventioni partium multum ſit tribuendum, idcircò inſpiciendæ ante omnia literæ ſeu Apochæ Aſſecurationis, qvas teſte Marqvardo *d. l. Pollices* vulgò vocant, & æſtimanda ex illis intentio contrahentium, an ſpecificè pericula ſuſcipienda in illis ſint determinata, an verò generaliter caſuum fortuitorum præſtatio promiſſa? priori caſu, ut conventio dat legem contractui per *L. 23. ff. de R. J.* ita nec Aſſecurator ultra denominatos in contractu Aſſecurationis

rationis caſus fortuitos ad aliorum fortè exortorum præſtationem obligabitur, nec habet, de qvo forſitan Aſſecuratus conqveratur, cùm ipſe legem contractus apertius dicere potuerit: Poſteriori autem caſu exſurgit dubitatio qvinam caſus nomine caſuum fortuitorum veniant? Nota aliàs diſtinctio inter caſum fortuitum & improviſum, ex imprudentiâ, qvæ culpæ etiam annumerari ſolet *in l. 132. ff. de R. J.* ortum; eos nihilominus apertè *in l. 52. §. 3. ff. pro ſocio l. 13. C. mandat.* confuſos reperies. Sed pro ſubſtratâ materia excludendus erit caſus improviſus ſeu damnum ex imprudentia aut culpa Aſſecurati, vel Magiſtri navis mercibus illatum, ſtatuendû q; exinde, Aſſecurantē ad damni illius æſtimationem præſtandam neqvaqvam obligari. Qvid enim ſi Magiſter navis, ut verbis Honorii & Theodoſii *in l. 7. C. de Navicul.* utar, recta navigatione contempta littora ſectatus fuerit, aut ad portum minus tutum, inſolitum, aut alium, qvàm qvi conventione deſtinatus, navim applicaverit, & ea ratione, ut merces deterioratæ ſint, effecerit? Qvid ſi nauta vel Aſſecuratus merces prohibitas in navi habuerit, aut ob non ſolutum vectigal vel gabellam merces in commiſſum ceciderint? Qvid ſi Aſſecurator ſuſceperit periculum mercium transvehendarum eo tempore, qvo navigatio minus videbatur periculoſa, ab ipſo autem vel Exercitore vel Magiſtro navis, aut etiam Aſſecurato illa in tempus planè incommodum differatur, obortaqve deinceps tempeſtate merces cum ipſa ſimul navi perierint? Nonnè iis & non disſimilibus caſibus, qvàm iniqvum foret ipſi Aſſecuratori alienam culpam adeò detrimentoſam eſſe, ut ipſe valorem mercium promiſſum Aſſecurato præcisè exſolvere teneatur? Sigiſm. Scaccia *de Commerc. §. 1. qv. 1, n. 154.* Benev. Stracha *de Naut. Nav. & Na-*

vig. n. 6. & Petrus Santerna *de Aſſecurat. part. 3. n. 10. & part. 4. n. 16. 17. & 19.* Joh. Marqvardus *de jure Mercat. lib. 2. c. 13. n. 36.*

§. 20. Reſtant itaqve caſus fortuiti in ſpecie ſic dicti, qvos, juxta vulgarem deſcriptionem *in l. 2. §. 7. ff. de Adminiſtr. rer. ad Civit. pertin.* fundatam, prudentia aut conſilium humanum prævidere neqvit; qvales ſunt vis ventorum, fluminis, tempeſtatis, ruinæ, naufragii, terræ motus & multi alii, qvi, fatente ipſo Juſtiniano *in l. f. C. de tempor. & reparat. Appellat.* nec dici, nec enumerari facilè poſſunt. Ad qvorum caſuum præſtationem Aſſecurator, ut periculum præmio ſit æqvale, & uterq; contrahentium dubio exponatur eventui, omninò tenetur. Verùm cum duæ hic, qvæ in Aſſecuratione plurimùm attendendæ, occurrant res, merces videlicet & currus vel navis, ideò earum ſigillatim ratio habenda. Ante omnia autem inſpiciendum diploma Aſſecurationis, an utriusq; periculum, an verò alterutrius tantùm fuerit ſuſceptum. Qvòd ſi enim utriuſque periculum Aſſecurator in ſe ſuſcepit, de utroq; etiam tenebitur ſive navis depreſſa, id eſt ſubmerſa, ſive dejecta i.e. ad terram vel ſaxum colliſa ſit, prouti hæc *in l. 7. ff. ad L. Rhod. de jactu* egregiè diſcernuntur, & *à gloſſâ ad d. L. ex l. 4. §. 1. ff. eod.* dicto modo explicantur. Sin verò ad navis tantùm caſum ſe obligaverit, de mercibus non poterit teneri, nec vice verſa: qvod iſtiusmodi obligationes ſtrictè ſunt interpretandæ, nec extra terminos conventionis facilè extendendæ.

§. 21. Qvid autem ſi merces de una navi in aliam transferantur, & poſtrema deinceps cum mercibus pereat, teneturne Aſſecurator de mercibus æqve ac de nave? Tenor conventionis ante omnia conſiderandus, an ille de mercium tranſportatione qvacunqve navi expedienda

da ſit conceptus, necne: De priori caſu nullum eſt dubium, qvin Aſſecurator ad utriuſqve æſtimationem teneatur, propter vim conventionis, qvæ ſervanda omnino. *l. 1. ff. de pactis, l. 1. ff. de conſtit pecuni.* Qvod ſi verò mercium tantùm periculum Aſſecurator ſuſceperit, diſtinctio Labeonis ICti *in l. fin. §. 1. ff. de L. Rhodia de jactu,* huc accommodanda; aut enim nautæ culpæ periculũ imputari poteſt, utpote ſi nulla neceſſitate coactus in navim deteriorem merces tranſtulerit, qvo caſu Aſſecurator non tenetur, ne aliena ipſe gravetur culpa, ſed nauta potius actione locati conducti conveniri poteſt: aut verò nautæ nihil poteſt imputari, ut ſi ipſe navis onuſtæ levandæ cauſſa, qvòd portum aliàs intrare non potuerit, merces in alienam navim transjecerit, aut ſi prior navis ſine dolo vel culpa nautæ vitium aliqvod acceperit, vel etiam utraq; navis in ea navigatione perierit. Ad hos certè & ſimiles caſus præſtandos Aſſecurator perinde tenebitur, ac ſi merces in ipſa navi perierint, *arg. l. 4. pr. ff. d. t.*

§. 22. Cæterùm contingit ſæpiſſimè, ut naufragii imminentis evitandi cauſſa naves mercibus in mare projectis, onere leventur; qvòd melius ſit, merces perire, qvàm navim cum hominibus interire, & ſpes qvoq; interdum adſit, merces projectas, ſi ad littus appulſæ fuerint, recuperatum iri. Oritur hac occaſione non vulgaris qvæſtio, an caſus ille, qvo merces projectæ in mare perierunt, culpæ projicientium, an verò fortunæ adverſitati ſit adſcribendus? Contra nautas militare omninò videtur, qvòd ipſi ſpontaneo motu merces in mare projecerint, ut ideò culpam ipſorum caſum fortuitum ſubſeqventem cauſſaſſe dicendum ſit. Verùm ſi intentio projicientium inſpiciatur, aliud omninò aſſerendum, qvod ea eò tendat, ut caſum iminentem declinare poſſint.

§. 23. Non itaqve adeò incongruè hic applicari poterit famoſa illa qvæſtio, an projiciens dicto modo merces ſit maneatq; Dominus rei projectæ? Qvæ omninò affirmanda, partim per §. *fin. Inſt. de R. D. l. 2. §. f. l. 8. ff. de L. Rhodia dejactu, l. 58. ff. de A. R. D. l. 21. §. 1. ff. de acqvir. vel am. poſſeſſ:* partim, qvia animus projicientis non eſt directus in amiſſionem dominii mercium, ſed tantùm periculi appropinqvantis evitationem. *d. l. 8.* Et ideò non refragatur qvòd projiciens projiciendo merces velit illas pro derelictis habere, cùm ſciat, ſe eas non recepturum. Licet enim non negem, actum illum projectionis non eſſe abſolutè invitum, ſed tantùm ratione principii externi remoti & cogentis, ratione autem principii interni aut proximi, qvoqvis mavult perire merces, qvàm vitam, eum omninò voluntarium eſſe, facile concedam. Bachovius *ad* §. *fin. Inſt. de R. D.* Illa tamen volitio, uti dictum, non tendit in mercium amiſſionem, ſed ut illis projectis & nave levatâ imminens naufragium evitetur. Multò minus obeſt *l. 43. §. 1. ff. de furtis*, cùm reſponſio ex ipſius legis verbis, *cùm ſciat periturum*, elici posſit: qvæ verba accipienda ſunt de certò ſciente res jactas eſſe perituras, nec unqvam recuperatũ iri, qvia particula *cùm* non denotat cauſsã, ſed tempus & qvalitatem, uti accuratè ſatis docuit Nobiliſſimus atq; Excellentiſſimus Dn. Præſes, *Patronus meus jugiter obſervandꝰ in prælect. ad ff. tit. de L. Rhodia.* Nec contemnenda eſt h. l. diſtinctio Clariſſimi Schnobelii *in Diſput. IX. ad ff. d. t. de L. Rhodia th. 8:* aut detinet qvis merces projectas, & ad littus appulſas lucrandi animo, & ſic omninò committi furtum ab auferente; aut ſervandi tantùm animo, qvando ſcilicet auferens eas duntaxat cuſtodit & reſtituere geſtit Domino probanti merces eſſe ſuas, ubi ſecus ſe res habet. Qvòd ſi igitur ejecto

mer-

mercium à nautis facta ipſius qvoq; Aſſecuratoris commodum atq; utilitatem reſpiciat, cùm ea ratione ab imminenti naufragio vel navim vel aliqvas ſaltem merces liberare contendunt projicientes, utiq; culpæ illorum mercium projectarum interitus imputari neqvit, ſed caſibus fortuitis, ad qvorum præſtationem Aſſecurator ſe obligavit, & illud damnum erit aſſignandum.

§. 24. Ex dictis huc usq; & illius qvæſtionis, an merces projectæ in littore vel alibi repertæ Aſſecurati an verò Aſſecuratoris ſint futuræ, deciſio facilis ſatis evadet; ſive igitur ipſe Aſſecuratus navim regat, ſeu alterius nautæ operâ utatur, utroq; tamen caſu merces projectæ in dominio Aſſecurati eſſe non deſinunt, qvòd, juxta ante dicta, facta projectio non involvat dominii amiſſionem, & Aſſecurator non prius teneatur, qvàm ſi merces revera deperditæ, non autem ſi itidem repertæ fuerint.

§. 25 Porrò non adeò inutilis & illa qvæſtio cenſenda, qva, caſu contingente, qvi qvidem nec anteqvam veniret, nec dum venit, poſtqvam autem venit, caveri poterat, diſqviritur, an Aſſecurator ratione illius qvoq; Asſecurato ſit obligatus? Fingamus, navim, e. g. Hollandicam à piratis Turcicis invaſam tormentis bellicis, vel maris etiam turbine & fluctibus ita qvaſſatam concuſſamq; eſſe, ut in alveo vel alia ſui parte aqvam hauſerit, & ad navigandum proinde inutilis facta fuerit, navicularium autem vel magiſtrum navis, qvi hanc recuperare & in priſtinam conditionem reſtituere potuerat, illam reſtaurationem negligenter omiſiſſe, & ea ratione, qvo minus navis unqvam refici poſſet, effeciſſe. Poſſet certè prima fronte videri. Aſſecuratorem ad refarciendum damnum omninò obligari, qvòd ipſe omne periculum caſumq; diverſum in ſe ſuſceperit, nihil autem reapſe interſit, an na-

vis ſit capta, aut dilacerata, aut fracta à latronibus, an autem oppreſſa vel deteriorata ab hoſtibus: cùm uterq́, caſus nonniſi fortuitus videatur dicendus. Verùm, qvùm caſus fortuitus is demum, juxta ſuperiora, perhibeatur, qvi prudentia humana provideri aut præcaveri non potuit, illud autem damnum navi à piratis illatum à naviculario probabiliter reſarciri potuerit; Ideò non eſt, qvòd Aſſecuratorem ad æſtimationem vel navis vel mercium pro Aſſecurationis formula reſtituendam ſtringere poſſit. Cùm autem facti omninò ſit, an navis capta à latronibus, ita adhuc ſit comparata, ut reparari poſſit, nec ne, ideò cauſſæ cognitio & ocularis inſpectio hic adhibenda, ut Judex tandem declaratoriam ſententiam ferre, qva Aſſecuratorem ob denegatum intra definitum terminum, qvi ex ſtatutis Genuenſibus eſt menſis, reparationi locum, ad præſtandam æſtimationem navis vel mercium condemnat. Eo enim caſu, qvo navis recuperari amplius non poteſt, evenit omninò caſus finiſter ad effectum exigendi pretium navis aſſecuratæ. Multò magis hæc procedit ſententia, ſi navis capta intra præſidia capientis jam tum ſit deducta, ut nulla eam recuperandi ſuperſit ſpes, aut planè non conſtet, qvorſum latrones navim captam duxerint. Sigiſm. Scaccia *Tr. de Commerc.* §. *1. qv. 1. n. 147. & multis ſeqq.*

§. 26. Pauca hæc de caſibus in ipſa navigatione contingentibus pro inſtituti ratione dixiſſe ſufficiat. Nunc paucis ad *periculum*, qvod poſt abſolutam jam navigationem diverſimodè iterum accidere poteſt, progredior. Ponamus ſcil. navim ad portum ſecuram & incolumen applicuiſſe, dum autem ea mercibus exoneratur, navim cum mercibus miſerè periiſſe: ex qvo itidem dubium deſcendit, an Aſſecurator ad illud qvoque periculum teneatur

tur? Poſſet videri, conditionem Aſſecuratoris eâ ratione nimis coarctari, & qvò qvis contra publicum commerciorum favorem in poſterum Aſſecurationem ineat, nullum perſuaderi amplius poſſe. Verùm inſpicienda & hîc concepta Aſſecurationis verba, & proindè diſtingvendum accuratè, an ipſa Aſſecuratio concepta & reſtricta tantùm fuerit ad ipſius navis applicationem, an verò inſuper in terram & portum certæ civitatis deportationem: priori caſu ceſſare dicitur periculum, qvia jam tum ex parte Aſſecuratoris conventio fuit adimpleta: poſteriore caſu reqviritur, ut in propoſitæ civitatis portum navis devenerit, qvoniam qvod eſt in portu civitatis, qvodqve ibi fit, cenſetur in ipſa civitate factum, per ea, qvæ notat Accurſius *ad l. 9. ff. de Judiciis, it. ad l. 99. §. 1. ff. de V. S.*

§. 27. Qvòd ſi igitur caſus fortuitus nulla vel Domini mercium vel Magiſtri navis, vel alterius alicujus culpâ cauſſatus actu ipſo evenerit, & merces vel navis perierit, ut ille effectum exigendi æſtimationem mercium vel navis inducat, incumbet utique nobis ulterius diſqvirere, qvaliter & qvomodo æſtimationis computatio ſit facienda? Repetenda hic & illa eſt formularum Aſſecurationis diſtinctio, qva ſuperius in th. 14. & 15. uſus ſum; intereſt ſcil. an Aſſecurationis verba ita ſint comparata, ſi merces perierint, dabis mihi mille; qvo caſu præcisè illa millia præſtanda eſſe l. c. dixi; an verò mercium qvantitas ſit expreſſa, utpotè ſi Aſſecurator pro mercibus ab Aſſecurato uſqve ad mille æſtimatis centum e. g. promiſerit, ita qvippè Aſſecurator non ad Majorem mercium æſtimationem tenebitur, qvàm qvanti reverà valuerint. Si itaque Dominus mercium majorem mercium exigat valorem, ipſi exceptionem doli mali ab Aſſecuratore objici poſſe rectè ſentit Benevenut. Stracha *de Aſſecur. Gloſſ. 6. n. 4.*

§. 28. Probandum autem prius, navim vel merces caſu fortuito reverà interiiſſe, qvàm Aſſecurator ad illarum æſtimationem condemnetur. Cui autem probatio iſta incumbat, qvis fortaſſe qværeret? Aſſecurato ſeu Actori & æſtimationem ab Aſſecuratore urgenti eam tribuo, *per l. 21. ff. de probation. l. 23. C. eod.* maximè ſi periculi pretium ante conditionis, eventum jam tum ſolutum fuerit, & Aſſecuratus ſe indebitè illud ſolviſſe prætendat. Joh. Marqvard, *de Jure Commerc. lib. 2, c. 13. n. 73.* Non tamen præcisè evidentiſſimæ & luce meridianâ clariores hic reqviruntur probationes, ſed qvoniam de ſubmerſâ fluctibus navi aliisq; caſibus fortuitis, qvi vel ſuâ naturâ vel ob circumſtantiarum diverſitatem ſunt difficillimæ probationis, mihi hic intercedat qvæſtio; admittuntur etiam leviores, & qvi haberi poſſunt, probandi modi, *arg. l. 5. §. 1. ff. de re milit. l. 3. C. de Naufr. lib. XI.* Tandem & id notandum, æſtimationem mercibus deperditis ſecundum proportionem applicari debere, adeò, ut ſi tota mercium qvantitas perierit, tota æſtimatio ſolvenda, ſin verò media pars earũ interierit, media qvoq; pars illius æſtimationis ſit ſolvenda; ſin tertia, tertia. Leonhard. Leſſius *de J. & J. lib. 12. c. 28. dub. 4. n. 29.*

§. 29. Qvemadmodum autem ab Aſſecuratoris parte dubium ſuſcipitur periculum, ita nè ipſe fruſtrà fortunæ aleæ ſe exponere debeat, ab Aſſecurato viciſſim præmium vel actualiter dandum, vel ad minimum promittendum eſſe genuina hujus contractus natura expoſcit. Et in eo à parte Aſſecurati formalitatem hujus contractus conſiſtere ſuperius diximus. Debet itaque pretium, qvantum ex judicio viri intelligentis & iſtiuſmodi negotiorum periti vel periculo vel obligationi, qvam Aſſecurans in ſe ſuſcipit, æqvale eſſe. Leonh. Leſſius *de J. & J. lib. 2.*

c. 28. du

c.28.dub.4. Exactã tamen & omni numerò abſolutam æqvalitatem pretij & periculi præciſè non reqviri puto: ſicut enim in emptione venditione pretii & mercis proportio reqviritur, & tamen illam non ſimpliciter & abſolutè talem, ſed ſecundum conditionem humanam & commerciorum favorem propagandum civiliter & negotiativè, ut licet res aliqvanto carius vel vilius, qvàm reverà valeat, ematur, emtio tamen exindè non reſcindatur, intelligendam eſſe, rectè tradit Dn. Hahnius *ad Weſenb. de contrah. empt. n.12. in verbis: item ſi contra pretium ſolutum fuerit.* Ita nec minus talis æqvalitas inter præmium & periculum, qvalis commerciorum conducit favori & freqventiæ, in Aſſecuratione qvoqve admittenda. Præprimis, qvia in Aſſecuratione impoſſibile videtur, omnes qvalitates & quantitates periculi minuratim cognoſcere, tùm qvia in periculo & caſu fortuito fortunæ obtinet Dominium & periculum majus apparens evaneſcat ſæpè, minus verò ſuccedat, tùm qvia circa rerum eventus ob inæqvalem hominum timorem diverſæ horum ſunt opiniones. S. Scaccia *de Commerc.* §. *13. Gloſſ.* 3. *n.* 12. §. *extende 2.*

§. 30. Solet autem illa qvantitas præmii utplurimùm, conſiderata prius tàm navigatione, an longinqua, an brevis ea ſit, qvã locorũ qvalitate, tutanè ſatis ſint illa, an verò variis ſubjecta periculis, determinari, & pro diverſitate ſubſtantiarũ præmium augeri vel remitti. Cui conventioni partes deinceps ſtrictè inhærere tenentur, nec limites ipſius tranſgredi poſſunt. Quid verò ſi expreſſa pretii in actu Aſſecurationis mentio non fuerit facta? recurrendum ſic ad ſtatuta vel legem publicam, & proſpiciendum, annon in illis qvantitas ſit definita: Prout id de Hollandia teſtantur Joh. Marqvardus *de jure mercat lib. 2. c. 3. n. 69.* &

 Stru-

Struvius *Syntagm. Jur. Civ. p. 918.* & determinatum in ea pro locorum diverſitate atq; Aſſecuratione facienda pretium diverſimode eſſe: Hodie tamen Mercatorum Hollandicorum uſu communiter receptum eſſe, ut pro ſingulis centum ſeptem ſolvantur, qvalem determinationem ob incertum eventum, & diverſos hominum affectus in foro etiam interiori licitam cenſet Joh. Marqvardus *d. l.* Neque contrahentibus pretium, publicâ lege definitum, ob periculi magnitudinem vel aliam ob cauſſam, augendi poteſtatem concedo, ne qvaſi juri publicè conſtituto privatò arbitrio & conventione ſivè directò ſive per indirectum contraveniant *l. 7. § 16. l. 38. ff. d. pact.*

§. 31. Dicta hactenus naturam Aſſecurationis ſatis explicaſſe ſpero: paucis diviſionem illius ſubjiciam, qva Aſſecurationem aliam *maritimã*, aliam *terreſtrẽ* aſſecuro. Illa mercium mari tranſvehendarum, hæc rerum terrâ tranſportandarum ſecuritatem reſpicit. Utraque in *puram* iterum & *conditionalẽ* diſpeſci poteſt: in illa Aſſecurans omne periculum ſuſcipit & Aſſecuratus pretium ſine diſtinctione promittit, vel actualiter exſolvit; In hac verò contrahentes certum locum, tempus, caſum, aut aliàs circumſtantias adjiciũnt, à communi hujus contractus natura recedentes. Joh. Marqvardus *d. l. n. 12. & ſeqq.*

§. 32. Cæterum non deerunt fortè, qvi noſtræ Aſſecurationis juſtitiam impugnare volupe ducant, ſequentibus moti ratiociniis: partim, qvia illa uſurariam videatur ſapere pravitatem, dum Aſſecurator lucratur pecuniam, licet nullam habeat ſortem, vel nullum impendat laborẽ: partim, qvòd ea temerariis hominibꝰ occaſionẽ præbeat delinqvendi, qvi, etſi nihil in ære habeant, ſpe tamen lu-

cri captandi periculum alienarum rerum aliò tranſvehendarum in ſe ſuſcipiunt, & ſi merces perierint, bonis cedant, aut ad evitandam æſtimationis præſtationem planè aufugiant, partim *per c. ult. x. de Uſuris.* Verùm ad defendendam noſtram Aſſecurationem ejuſqve juſtitiam certas hypotheſes præmittere placet: *I. apertam & enormem præmii ac periculi inæqvalitatem non adeſſe.* Impoſſibile qvidem periculi qvalitates rerum Aſſecuratorum bonitati & contrahentium opinionibus per omnia æqvari poſſe: qvòd ſi tamen alteruter contrahentium alterum ſciens vel in præmió vel in æſtimatione lædat, is in foro omninò peccat interiori, & ſi ultra dimidium qvis contrahentium deceptus ſit, reſcindenda omninò in foro etiam exteriori Aſſecuratio; eò non obſtante, periculum aliud alio majus eſſe, cum periculi magnitudo non ex imminentis vel futuri caſus veriſimilitudine, ſed ex majori vel minori rerum, qvæ periculo exponuntur, qvantitate, aut loci, ad qvem tranſvehendæ, vel ſecuritate vel longinqvitate ſit metienda, per ea, qvæ tradit S. Scaccia §. *1. qv. 7. par. 2. ampl. 10. n. 5.*

§. 33. *II. Utrumq́; contrahentem dubio eventui ſubjectum eſſe:* ſive igitur Aſſecurans ſciverit, merces ad locum, ad qvem deſtinatæ, ſalvas perveniſſe, & tamen periculum earum jam ſalvarum ſuſceperit, ſeu Aſſecuratus certior factus, merces jam tùm periiſſe, aut rem cum iis ita comparatam eſſe, ut illæ ſint certò perituræ, & nihilominus eas ab alio aſſecurari cupiat, certè nec ille præmium periculi petere, nec hic Aſſecurationem vel exigere, vel mercium æſtimationem juſtè poſtulare poterit. Præterqvam enim qvòd non ſecus de Aſſecurationis qvàm ſponſionis formalitate ſit, juxta ſuperius dicta, ut uterq́; contrahentium dubio ſe exponat periculo.

Stru-

Struvius *Ex. XV. th. 58.* & Henr. Zoëſius *in ff. ad tit. de Aleator. n. 10.* Et id inſuper accedit, huic contractui ob ſcientiam vel ſimulatam alterius ignorantiam dolum dare cauſſam, cùm nec Aſſecurans periculum ſuſcepiſſet, nec Aſſecuratus præmium promiſiſſet, ſi rem, prouti in veritate comparata eſt, præſciviſſent. Notatu digna ſunt verba Hugon. Grotii *de Jure B. & P. lib. 2. cap. 12. n. 28.* ut huc transferantur: *Contractus*, inqvit, *avertendi periculi, qvem Aſſecurationem vocant, omninò nullus erit, ſi contrahentium alter rem, de qva agitur, aut ſalvam, qvo deſtinatur, perveniſſe aut periiſſe ſciverit, non tantùm ob paritatem, qvam exigit contractuum permutatoriorum natura, ſed qvia propria materia hujus contractus eſt damnum ſub ratione incerti.* Utut etiam vel Aſſecurator æſtimationem rei deperditæ perſolverit; vel aſſecuratus præmium pro periculo dederit, utrumq; tamen prædictis caſibus non tantùm ad reſtitutionem accepti, ſed etiam ad damnorum eo nomine exortorum & expenſarum refuſionem teneri tradit Leonh. Lesſius *de J. & J. lib. 2. c. 28. dub. 4. n. 24. & ſeqq.*

§. 34. Hiſce hypotheſibus præmiſſis & in Aſſecuratione probè obſervatis eam licitam omninò & juſtam eſſe cenſemus. Neq; enim qvis facilè negabit, Aſſecurantem, ceu in actu pretio æſtimabili nec expreſsè perhibito verſantem, lucrum pro periculo, cui ſe exponit, dubio juſtè captare, cum Aſſecuratus viciſſim res ſuas ſalvas transvectas vel transportatas eſſe feliciter ſit conſecutus: Nec ullum mihi deprehendere licuit vitium, qvo Aſſecuratio noſtra juſtitiæ leges offendere poſſit; qvoniam uterq; contrahentium dubio ſe exponit periculo, uterqve habet bonorum ſuorum adminiſtrationem, &

neuter

neuter tandem fraudibus vel doloſis utatur circumdu-ctionibus. Sicuti potius qvivis rei ſuæ dominium qvocunqve titulo vel planè & ſimpliciter, vel ſecundum qvid & ſub conditione transferre poteſt: ita multò minus prohiberi poterit, qvisqvis ſub ſpe lucri captandi vel ſua bona vel partem eorum, fortunæ luſui committere velit. Licitum qvoqve illud lucrum eſſe, dummodo abſit animus nocendi vel defraudandi, nullus facilè diffitebitur, niſi & ſortem, ſponſionem, emptionem ſpei & alios iſtiuſmodi actus, in qvibus etiam lucrum ex dubio intendi-lur periculo, illicitos cenſere velit. Qvin immò periculum pecuniæ tranſmare vehendæ à creditore eũ alteri mutuò dante contra ordinarias juris noſtri regulas, qvibus aliàs damnum caſus fortuiti ad debitorem ſpectat, *l. f. C. de naut. fœn.* ſub gravi ſatis fœnore juſtè ſuſcipi conſtat *ex t. t. C. de naut. fœn. & Novell. 110.* Illius certæ pecuniæ, trajectitiæ appellatæ periculum ſolus creditor ſuſcipit; qvantò magis igitur illud lucrum, qvod utraqve contrahenti um parte periculo ſe ſubjiciente ab alterutrâ acqviritur, licitum erit dicendum. Fidejubentem inſuper pro aliô qvi ſolvendo fortean non ſperatur, ſed facultatibus facilè labi poteſt propter illud periculum, qvo facilè contingere poſſet, ut ipſe creditori ſatisfacere deberet, jure aliqvid recipere tradunt, & ex eo multò magis in aſſecurante, ceu qvi majori ſe exponit periculo, id licitum eſſe concludunt S. Scaccia *de Commerc.* §. 1. *qv. 1. n. 129.* & Dominic. Soto *de J. & J. lib. 6. qv. 7. art. un.* Qvicqvid tandem ſit nec in objecto, nec formalitate Aſſecurationis ullam deprehendens iniqvitatem, ſummâ potius ipſius neceſſitate ac utilitate in Republica motus tamdiu in hæreo theſi, eam licitam omninò ac juſtam eſſe, qvam diu vel legibus vel rationibus fuerim victus.

 §. 35. Nec

§. 35. Nec moveor argumentis in contrarium ſuperius adductis; qvamvis enim nulla adſit ſors, cujus intuitu Aſſecurator uſuras petere poſſit, adeſt tamen periculum, cui ſe exponit Aſſecurans, & ob id ipſum præmium jure accipi poſſe in antecedentibus demonſtratum. Nec ſecundum obeſt, qvòd Aſſecurato in eo invigilandum, ne cum tali contrahat homine, qvalis vel famâ vel facultatibus ſuſpectus eſt; prouti aliàs vafrities & impoſturas in aliis etiam contractibus uſu obvenientes, in hóc præprimis contractu non eſſe admittendas docet Dominic. Soto *d. l.* Tandem *c. f. X. de uſur.* de illo caſu, qvo prætexitur periculum, ubi nullum eſt, vel majus, qvàm ſubeſt, ut proinde lucrum majus ſit ipſo periculo accipiunt Didacus Covarruvias *variar. reſol. lib. 3. c. 2. n. 5.* & Anton. Perez. *in præl. ad* Cod. *de naut. fœn. n. 5.* Aliter paullò reſpondent S. Scaccia & Dominicus Soto *d. l.*

§. 36. Actio demum ex noſtro contractu Aſſecurationis deſcendens in factum præſcriptis verbis dici meretur. Cùm enim datio aut factum interveniens, qvalis in aliis obvenit contractibus, ſpecifica forma non fuit determinata, ſed generali dandi vel faciendi deſcribantur nomine, ideò, ſicuti negotium geſtum vel celebratum, ita nec actio alia, qvàm qvæ præſcriptis negotii verbis conveniens eſt, hic locum obtinere poteſt. Competit autem ea tam Aſſecuranti, qvàm Aſſecurato; illi ad præmium mercibus ad locum definitum ſalvis perductis pro ſuſcepto hactenus periculo ab Aſſecurato præſtandum: huic vice verſâ ad mercium caſu fortuito perditarum æſtimatinem ab Aſſecuratore reſtituendam. Sicuti autem in aliis contractibus innominatis, ex peculiari Romanorum ſanctione, à parte dantis, qvi accipientem qvidem ſibi obligavit, ipsè verò huic neqvicqvam obligatur, recepta

& per-

& permiſſa eſt pœnitentia,ita nec minus illam diſpoſitionem in noſtro Aſſecurationis contractu obtinere puto Qvòd ſi enim Aſſecuratus Aſſecuratori præmium ante ſolverit, qvam ipſe navigationem actu ipſo inſtituerit,nullum eſt dubium, qvin Aſſecuratus pœnitere & præmium datum condicere poſſit. Nec habet Aſſecurator, de qvo jure qveratur, cùm ipſe nondum aliqvid præſtiterit, qvo Aſſecuratum viciſſim ſibi obligatum reddiderit. Secus itaq; res eſt comparata, qvando Aſſecurator in ipſã navigationem Aſſecurationis nomine ſumptus & expenſas neceſſarias fecerit, aut navigatione jam tum ſuſcepta, tempeſtate orta & rebus qvibuſdam perditis caſum fortuitum perpeſſus fuerit. Ita eqvidem iniqvum foret Aſſecuratim pœnitere poſſe, tùm, qvia res à parte Aſſecuratoris ampliùs non eſt integra,tùm,qvia Aſſecuratas ita dolosè ageret, dum ipſe, poſtqvàm caſus adverſus contigit, reſilire vult,cùm tamen ſi res proſpere eveniſſet,ipſe præmium omninò exegiſſet; tùm, qvia pœnitentia prædicto caſu in ingens alterius damnum redundaret: neminem autem conſilium in alterius injuriam mutare poſſe reſpondet Papinianus in *l. 75. ff. de R. J.* Vid. Magnif. Dn. Struvium *Ex. XXV. th.* 48.

Et hæc ſunt, qvæ de Nobiliſſima atque Ampliſſima ſatis *Aſſecurationum* materia,non qvidem pro ejuſdem dignitate, ſed potius ingenii mei modulo,conſcribere volui. Si qvædam minus ad rem dicta videbuntur, illorum defectibus immenſæ materiæ gravitate dextraque ac benigna interpretatione B.L. ſuccurſurum nullus non confido. Qvare ſiſto calamum,gratiis devotiſſimis actis JESU MEO, cui immortalis Laus & Gloria.

DIva tuos vidit SYBORG Aſtrææ labores,
Inde tibi Cathedræ pulpita clara patent.
Sic *Patriæ Patri* tua civis facta probantur,
Sic ſtudiis capies præmia digna tuis:

Conradus Victor Schneider Medicin.
D. P. P. & p. t. Acad. Rector.

FAc crudi caveas exponere retia Juris
Amplis Judicii in campis, adamate SYBÖRGE!
Multis ad Themidos Templum acceſſiſſe liceret,
Ni, vanùm qvantùm! ſe perveniſſe putarent.
Et Sophiæ & Logices didiciſſe fideliter Artes,
Ad ſenſum Legum immenſum ſolet addere calcar.
Pœnituit nunqvam placidæ, doctæq; Cathedræ,
Qvos Tritura Fori Doctorum prætulit Orbi.

Joachimus Nerger / D. Prof. Pandect. Publ. Curiæ Electoralis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ, qvæ hic Wittenbergæ ſuntq́; nec non Judicii Ducalis, qvod eſt in Marchionatu Luſatiæ inferioris, Aſſeſſor.

Ad præximium ac literatiſſimum

DN. RESPONDENTEM,

Affinem atqve amicum ſingulari amore proſeqvendum.

DUm de JURE facis, mi SYBURG, publica verba,
Grata Juventutis præmia corde precor!

VVerner Theodorus Martini,
J. V. D. Pand, P. P. Ser. Elect. Sax. Conſil. & Conſiſt. Eccleſ. Adſeſ.

Inge-

Ingenii dotes qvîs Te natura benignè
Ornavit, multo rite labore colis,
Dum de juridicis docto nunc diſſeris ore:
Qvâ Aſſecurator debeat eſſe fide.
Applaudo, laudo: Numen conatibus adſit,
Qvo patriæ fias, permaneasq́ decus.

Hiscepaucis pereximio atq; eruditiſſimo Dn. Autori & amico ſuo gratulatur

PRÆSES

MICHAEL FRIDERICUS LEDERERUS, J. U. D. & P. P.

Ingenium natura dedit, labor improbus artem;
Deniq; ſed virtus præmia diſtribuet.
Inſta auſis, SYBORGE, tuis! ſic magna parari,
Magnâ, qvod noſti, ſedulitate ſolent.

Politiſſ. doctiſſimoq; DN. RESPOND. f. l.

Georg. Caſp. Kirchmajer,
Eloqv. P. P.